


ingressa, citiùs unam, alteram tardiùs, ex statu minoris in statum majoris gravitatis disponere potuit, & in oppositum rursus statum aër eadem ratione suis carceribus iterum citiùs aut tardiùs erumpens.

CONCLUSIO VII. Quod autem in utroque illo casu aut manus premens, aut pistillum vel embolus urgens, effecerant, idem in casu decimi Phænomeni subrepens ex improviso aër causatus est. Cùm enim ea emboli seu pistilli pars, quæ cavitatem syringis LK exactè debebat explere, ab initio fuisset paulò brevior, in extractione pistilli tantisper vacillantis accidit, ut in alterutram partem ipso inclinato, juxta latus oppositum aër subito irreperet & ab aquis abreptus, ipsâ quippe specie levior, ad ampullæ superiora exprimeretur; ubi locum aquæ priùs ibi constitutæ occupans, eam postea sibi subiectam alium quærere locum, verbo, bullarum vitrearum cavitates ingredi, easque explicato jam modo deprimere coëgit. Et quia aër in supremum illum locum semel elatus inde discedere nullo modo poterat, & consequenter aquæ subiectæ pressio



K

non